

dens, requirere iudicium medici, aut viri prudentis: quia infirmi solent esse in hac materia plus æquo, vel indulgentes, vel scrupulosi: item ne requirere iudicium medici experti, & timorati, quia frequentes sunt medici solo titulo tales, & ita ad urbanitatem informati, ut omnibus promiscuè exemptionem a Jejunio petentibus non nisi annuere novent: quorum sanè iudicium tuto non sequuntur infirmi.

Ex hac conclusione inferes 1. non omnes infirmos eximi a toto Jejunio, sed quosdam a toto, quosdam a parte, prout scilicet exigit ratio infirmitatis: & ideo quosdam posse manducare carnes, non tamèn plures refectiones sumere, vel e contra plures refectiones sumere, sed non carnes: quosdam posse jentaculum sumere, alios pinguiorem collationem: quibusdam sufficere invertere ordinem refectionum, collationem meridiè, cenam vesperi sumendos: undè merito ad instantiam Episcopi Gandensis damnata est ab Academia Lovan. anno 1657. hæc propositio: *Qui dormire nequit, nisi vesperi sumpta cena, non tenetur jejunare, imò neque in prandio collationem sumere, quavis hoc modo isti incommodo abutari possent: quia nemo tenetur pervertere ordinem refectionum.* Inferes 2. Mulieres prægnantes, aut lactantes, quæ infirmis annumerari possunt, eximi a toto Jejunio quoad abstinentiam a pluribus refectionibus. Ita communiter contra paucos. Quia abundantiorum, & frequentiorum cibum, exigit fetus, quem gestant, aut lactant; imò peccarent, si Jejunium saltem in rigore observare vellent, ob nocuum mentum inde factum, aut proli imminens. Non tamèn eximuntur ab abstinentia a carnibus, quia alii cibi sufficient: excipit casum, quo mulier prægnans immoderata passione ferretur in carnes, cui, ne fetus ex denegatione patiatur detrimentum, recusari non debent. Inferes 3. eum, qui nunc est sanus, sed cui ex certis, aut verè probabilibus indicis imminet morbus, eximi a Jejunio pro quantum necesse est ad averendum morbum. Similiter, qui ex infirmitate convalescit, pro quantum necesse est ad reparandas vires. Inferes 4. neque impotentiam reddendi debitum inter conjuges, neque maciem, aut pallorem, quo vel uxor viro, vel puella proco se minus gratam ad tempus exhibet, per se loquendo, esse infirmitates, seu causas sufficientes eximendi ipsas a Jejunio.

Quantum ad 1. scilicet redditionem debiti, 1. quia ad id conjuges non se obligarunt in omni eventu, sed salvis mandatis Dei, & Ecclesie. 2. Quia tempus jejunandi est tempus longè fieri ab amplexibus, ut religiose observat hic Sylvius. Imò non desunt Theologi, & Canonistæ, qui contendunt conjugem petentem debitum tempore Jejunii peccare; pro quo citant Patres, & Canones: sed advertit Navarr. in Manu. c. 22. n. 71. Patres & Canones esse intelligendos de prima consummatione matrimonii, quam respondent inter solemnitates, quæ prohibentur tempore Quadragesimæ. Insuper idem Navarr. ibidem existimat, hos Canones esse antiquatos. Quantum ad 2. quia faciles sunt prorsus hæc rationes, nec ullam per se inducunt impotentiam, aut difficultatem jejunandi. Equod enim grande malum, si ad tempus uxor minus ardeat viro, puella proco?

Dixi *Per se loquendo*; quia per accidens, puta, si ex impotentia, aut deformitate unius partis iure timeantur in altera incontinentia, graves iræ, odia, blasphemie, aut grave detrimentum, posset compari suadente lege charitatis, cui cedunt leges humane temperare Jejunium, quantum necesse est ad illa mala avertenda. Similiter, quamvis uxor marito violationem Jejunii iubenti secundum se obedire non debeat, quia præstat obedire Deo, quam hominibus, potest tamèn per accidens, si nempe ex recusatione prærata, aut similia imminere.

Dico 2. (*Hic ad 4. ad 3. & in 4. cit.*) Secundum Jus antiquum labor non necessarius, citamsi gravis, non eximit a Jejunio. Quia dimittendum est id, quod non est necessitatis, ut servetur id, quod est necessitatis. Labor autem gravis, necessarius ad bonum sive proprium, sive alienum eximit a Jejunio, quia non videtur fuisse intentionem Ecclesie statuente jejunia, ut per hoc impediret alias pias, & magis necessarias causas. Ita, inquam, secundum Jus antiquum S. Thomas, & cum eo omnes ferè antiqui, & multi modernii. Verùm, inquit Sylvester v. Jejunium nu. 24. Eugenius IV. ann. 1440. circa hoc fecit magnam modificationem, indulgens, quod artifices laboriosa opera exercentes, & rustici sive sint divites, sive pauperes, non tenentur ad jejunium sub præcepto, ut refert Rossella, & alius a viris doctis audivi. Hinc usquè laudatus Silvester. Eandem Eugenii IV. declarationem refert Basseus v. Jejunium 2. n. 7. his verbis: *Opifices suas artes exercentes, aut coloni colendis serendisque agris, aut alii ejusmodi rebus operam dantes, sive sint divites, sive pauperes,*

ad jejunia sub peccato mortali non tenentur, & a Confessariis absolvi possunt, consulendo illis, ut in elemosinis, aliisque piis operibus occupentur. Idem referunt ex laudatis operibus Loth. Henno, & alii: divitibus autem non est necessarius labor. Quapropter

Dico 3. Secundum Jus novum, in hac Eugenii IV. declaratione fundatum, omnis labor honestus cum Jejunio incompossibilis, etsi non necessarius, modo non sit in fraudem Jejunii susceptus, eximit a Jejunio. Hanc sanè Summi Pontificis declarationem a tot viris fide dignis relatum eò facilius arbitror esse veram, quòd videam esse in praxi etiam apud timoratos. Neque enim poenitentes, neque Confessarii discutere solent, an labor, qui adfertur ut causa excusans a Jejunio, fuerit necessarius, necne, sed an fuerit gravis, & Jejunio incompatibilis.

Ex his conclusionibus inferes 1. agricolas, fabros, sive ferrarios, sive lignarios, sive stannarios, & similes, item fossores, cæmentarios, pistores, fullones, corianos, typographos pralo insudantes (non tamèn componentes), cursores, longum, ut molestum iter pedibus agentes, & alios artes valde laboriosas exercentes eximi a Jejunio propter gravem defatigationem, & debilitatem cum Jejunio moraliter incompossibilem.

Inferes 2. e contra propter oppositam rationem, pictores, sartores, barbitonsores, ac pingentes, cantores, musicos, mercatores, medicos, chirurgos, pharmacopolas, ancillas, famulos communia, & levia ministeria familiaria obeuntes, notarios, scribas, magistratus, & alios officiales, quorum labor absquè gravi difficultate potest cum Jejunio compari, ab ejus lege non eximi. Undè Alexander VII. damnavit hæc propositionem: *Omnis officialis, qui in Republica corporaliter laborat, sine excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.*

Sed quid de sutoribus, textoribus, aurificibus, & sculptoribus? Quidam eos excusant a Jejunio, quòd putent gravem eorum laborem: alii non excusant, quòd putent levem. Nos cum Sylvio existimamus, hos, & similes, quorum dubius est labor, prudentiæ Confessarii esse remittendos, ut, atrente labore, & personarum complexione, eos a Jejunio liberos, vel ad id obligatos pronuntiet.

Idem censeo de Judicibus, Consiliariis, Advocatis, Lectoribus, Scripioribus, Scholasticis, Confessariis, & Prædicatoribus: qui enim ex illis mediocriter, ut fieri solet, studio incumbunt, nullatenus eximuntur a Jejunio: qui acris, plus vel minus, secundum quantitatem studii, & personæ conditionem, eximuntur; ita ut quandoquè sumere possint pinguiorem collationem, quandoquè cenam, quandoquè jentaculum, quandoquè, totaliter, eximantur quantum scilicet ad unitatem refectionis. Sic v. gr. qui a mane ad vesperam confessiones exciperet, qui tota Quadragesima quotidie, aut ferè quotidie concionem haberet cum magno studio, & labore, puta quia est ingrata memorie, aut conciones recentèr casus pro prima vice recitat; qui diu noctule ad componendum, aut docendum libros evolvit, totaliter a Jejunio exemptum quoad abstinentiam a pluribus refectionibus, non secus, ac cæmentarium, arbitror: sicut enim labore corporali spiritus vitales exhauriuntur, ita labore spirituali spiritus animales, qui non sunt minus ad vitam necessari.

Inferes 3. præsertim ex 3. Conclusionem, eos, qui non ex necessitate, aut officio, quales sunt plerumquè ii, de quibus hæc usquè sermonem habuimus, sed honestæ recreationis, aut exercitationis causa, aliove sine honesto iter, aut laborem suscipiunt, v. gr. venantur, piscantur, invisunt amicos, aut urbes, iter agunt pedibus, cum possint rheda, aut navi, & similes etiam eximi a Jejunio, ubi defatigatio est gravis. A fortiori, si peregrinentur ex devotione, ut dicam iterum modo in quinta Conclusionem.

Dixi 1. in Conclusionem *Labor honestus*; quia sola defatigatio ex labore inhonesto, & illicito non eximit a Jejunio, cum præsumi non possit Ecclesiam relaxare legem suam in favorem peccantium. Secus tamèn, si ex labore illicito sequeretur, aut immineret infirmitas, tunc enim currit lex naturalis conservandi vitam. Distinguendum est itaque hæc inter inhonestum, & solam defatigationem, quæ non est infirmitas, sed solum majorem difficultatem parit jejunandi, quam sanè tenetur ferre, & suæ iniquitati impurare debet peccator. Undè merito Academia Lovan. damnavit hæc proposit. *Defessus ex quocumque labore licito, vel illicito, v. gr. (pudet referre) cum juvenis committione; liberatur a lege jejunii.* Dixi 2. *Modò labor non sit in fraudem legis susceptus*; quia, ut communiter dicitur, & fert regula Juris, *Fraus, & dolus nemini patrocinantur;*

nec, ut antè jam dixi, præsumi debet Ecclesiam velle suam legem relaxare in gratiam eorum, qui quærunt illam fraudare, & ventri indulgere. Hinc, qui suscipit iter, aut laborem præcisè, ut eximatur a Jejunio, alias non suscepturus; qui itinerat pedibus, alias ascensus equum, aut currum, aut navim; qui venatur, alias non venaturus, &c. verè non eximitur; nisi, ut modo dixi, ex nimia defatigatione sequatur, aut imminet morbus.

Petes 1. Quoad iter, quantum & quale requiratur, & sufficiat ad eximendum a Jejunio? R. Quidam requirunt quatuor leucas, quidam quinque, quidam sex, alii plus, alii minus. Item quidam eximunt solos itinerantes pedibus, alii etiam itinerantes equo, aut curru. Sed hæc, si generaliter stantur, arbitraria sunt. Quavis enim satis communiter loquendo quatuor, aut quinque leucæ videantur requiri, & sufficere, in hac saltem patria montibus frequentibus; potest tamèn contingere, quòd, attenta itinerantis complexione, acris intemperie, majori viarum asperitate, itineris diuturnitate, plus defatigetur duæ, aut tres leucæ, quam quatuor, quinque, sex, aut septem. Similiter, quavis incedens equo, aut curru regulariter non multum defatigatur, nec ideo communiter eximantur a Jejunio, potest tamèn contrarium contingere. Sic, si diu incedas equo molesto cursu præcipiti, flante vento valido, aut tota die curru non pensili super pavimento aspero, & in locis præruptis, plus sanè defatigaberis, quam si pedester quinque, aut sex leucas conficeres. Non potest ergo certa Regula statui generaliter pro omnibus ex longitudine viæ, neque ex modo itinerandi, pedibus, scilicet vel equo, aut curru; sed hæc repeti debet ex ipsa lassitudine, & debilitate naturæ restorationem postulantis, causata per itinerationem, qualescumque sit.

Sed, quæ & quanta lassitudo requiratur, non magis facile dixerim. Marchantius apud Sporer ponit hæc Regulam: *Quandocumquè iter ita hominem alterat, ut absque aliquo detrimento suo, vel negotii notabilis, pro quo vadit, jejunium non possit commodè servare, excusatur a jejunio.* Verùm cum ly *Aliquo detrimento*, & ly *Commodè*, valde latè pateant, vix itinerantem reperies, qui juxta hæc Regulam adstringatur Jejunio: leve enim detrimentum est *Aliquod detrimento*, & qualescumque difficultates non est *Commoditas*. Nullus est autem itinerans, qui jejunet absque aliqua difficultate, aut aliquo levi detrimento. Relicta igitur hæc Regula, utpotè nostro judicio laxiori, Franciscus Henno alter Minorita hæc assignat: *Quandocumquè iter ita alterat hominem, ut ea, in quibus ordinariè occupatur, non possit nisi cum magna difficultate exequi, solvit itinerantem a lege jejunii.* Hanc Regulam in pluribus valere non diffiteor, at valere generaliter pro omnibus, non arbitror. Opera enim, quibus occupantur homines, alia sunt facillima, alia difficillima: facillima quis posset absquè magna difficultate exequi, etiamsi graviter lassus ex itinere; difficillima non posset, etiamsi leviter lassus. V. gr. Malleator in ustrinam (*un Forgeron*) non admodum lassus ex itinere, non posset absquè magna difficultate exequi opus suum, cui homo quietus, & integer vix sufficit. E contra puella graviter defatigata ex itinere posset adhuc absquè magna difficultate suere.

Hæc ergo Regula admissa, ut in pluribus utili, generalem absolutè statui posse non credo: sed unusquisque suarum virium, & debilitatis conscius, memor insuper Ecclesiam urgere observantiam legum suarum cum aliqua difficultate, non tamèn cum summa, aut gravi, sit coram Deo sincerus arbiter sui. Quòd si non possit, credat viro prudenti & probo, maxime Confessario, si copia adsit. Hinc jure merito damnata est ab Alexandro VII. hæc propositio: *Excusantur absolutè a jejunio omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumquè iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter minus diei conficiant.*

Petes 2. utrum Agricola, fabri, ferrarii, & similes, qui laboriosa opera exercent, propter quæ eximuntur a Jejunio, teneantur jejunare eo die, quo hæc opera intermittunt, puta, die Festo incidente in Quadragesima? R. Per se loquendo non videri exemptos, quia eo die non laborant, & si præcedenti die laboraverint, aut sequenti sint laboraturi, ita & plenè corpus refecerunt, aut reficiunt. Plerumquè tamèn contingit, quæ excusari. 1. Si ex præcedenti labore sint multum attenuati, & per Jejunium imparis forent labori sequentis diei. 2. Quia hujus conditionis homines plerumquè parciè vivunt, & vitam eorum potest censeri quasi continuam Jejunium, ita ut independentèr ab opere laborioso, vix tenerentur lege Jejunii. Adde, quòd, cum non sint Jejunio assuefacti, longe majorem, quam alii jejunandi difficultatem patient.

Theol. Billuart. Secunda Secundæ.

tur. Undè prudentiæ Confessarii remittendum est, ut attentè omnibus judicet, nàm excusentur, vel non. Ita ferè Clar. Pontas. v. *Jeune* Cas. 9.

Petes 3. Quid agendum cum illis poenitentibus, qui neque infirmi, neque laborantes, Confessario urgenti obligationem jejunandi, simpliciter respondent: *Non possum jejunare*, & nihil aliud? Casum hunc nullibi legi, sed sæpe audi vi in Tribunali. R. Talibus non esse facile fidem adhibendam: sæpe enim fingunt se non posse, quòd nolunt, sola communè jejunandi difficultate, quam relinunt, deterriti, nec forte unquam experti, quid reverà possint. Quòd si re ipsa tamèn singularem, & majorem, quam alii, difficultatem patientur, vel illa provenit ex eorum culpa, puta ex non usu, quòd nunquam voluerint ex intemperantia subijci legi jejunii, & tunc impudente suæ iniquitati: nisi sit periculum morbi, ut dixi supra de fatigatis ex labore illicito: vel provenit sine eorum culpa, puta ex naturali voracitate, vel ex eo quòd jejunio non sint assuefacti ex causa legitima, ut contingit in iis, qui continuo labore antehac fuerunt occupati: & in mulieribus, quæ nuptæ antè vigesimum primum annum, semper fuerant, aut prægnantes, aut lactantes, & ideo ex parte prudentiam Confessarii paulatim assuescant, & ideo ex parte saltem jejunent.

Dico 4. (*Hic ad 4. cit. ad 2.*) Paupertas non semper excusat a jejunio, quia non semper adfert impotentiam moralem jejunandi. Tunc autem excusat, quando pauperes simul habere non possunt tantum hora comestionis, quòd ad victum totius diei sufficit; sicut frequentèr egenis contingit, qui frustatim elemosynas quærunt: vel etiam quando ex præcedenti inedia tantum debilitati sunt, quòd jejunium ferè non possunt.

Petes, utrum quando ostiatim mendicantes, aut alii habent sufficientèr panem ad refectionem, & nihil aliud, teneantur jejunare? R. cum Pontas v. *Jeune* Cas. 1. non teneant; quia solus panis semel sumptus non sufficit ad plenam refectionem, qualis requiritur ad onus jejunii sustentandum, seu, ut dicit S. Th. *ad victum totius diei.* Undè P. Henno malè profert hic S. Th. quasi huic responsioni contrarium. Insuper non ignorat S. Doctor, ostiatim mendicantes posse sæpe habere panem sufficientèr ad refectionem; & tamèn resolutivè dicit hic ad 4. *a jejunio excusari videntur illi, qui frustatim elemosynas mendicant, quia non possunt simul habere, quòd eis ad victum sufficit.*

Dico 5. Pietas in tantum excusat a jejunio, in quantum importat laborem incompatibilem cum jejunio. Pater, quia Pietas ex se non debilitat corpus, sed labor concomitans. Sic excusantur peregrinantes ad loca pia, inservientes diu nocturne ægrotis, Confessarii Concionatores, ut supra dixi pro quantitate laboris.

Multè hic instituunt quæstionem, utrum peregrinatio ex sola devotione excuset a jejunio? Item, utrum vacantes charitatis operibus, ut inservientes ægrotis, concionantes, non ex officio, nec jussu, sed spontè, aut etiam intuitu mercedis excusentur? Quidam tenent, quòd non; quia, ut dictum est supra, dimittendum est id, quod non est necessitatis, ut servetur id, quòd est necessitatis. Alii docent, quòd sic; quia juxta S. Th. non est intentio instituentis jejunium impedire per hoc causas pias: & quòd est institutum ut promotivum boni, non debet esse illius impeditivum. Verùm, supposita veritate tertiæ conclusionis, in qua diximus quemcumque laborem honestum gravem, etsi non necessarium, eximere a jejunio, evanescit difficultas, fluitque responsio affirmativa. Et sanè, si Ecclesia ore Pontificis indulget, ut divites, quibus non est necessarius labor, operantes laboriosè eximantur a jejunio, à fortiori vacantes Religionis, aut charitatis officis. Et ad rationem pro parte negativa distinguo: dimittendum est id, quòd non est necessitatis, si ita sit mens instituentis Legem, Concedo, secus, Nego.

Specialiter notanda circa præcedentes causas, excusantes a jejunio.

Nota 1. Causas assignatas excusare a jejunio ex rationabili epikia, & benigna interpretatione mentis Ecclesie, quæ in his circumstantiis fideles suos obligare non intendit, adeò ut, si causa excusans sit evidens, nulla sit opus dispensatione; si dubia, recurritur ad Prælatum, qui nomine Ecclesie dispenset, & sua auctoritate supplèat, quòd deest sufficientiæ cause. Non enim Prælatus solum declarat sufficientiam cause, sicut facit Medicus, aut Doctor, sed verè dispensat, & sua dispensatione causam sufficientem reddit. Porro Prælatus, pollens auctoritate dispensandi in jejunio Ecclesie jure ordin-

nario est summus Pontifex in tota Ecclesia: jure delegato ex usu Episcopus in sua diocesi, Parochus in sua Parochia, saltem ubi non est Episcopus, & etiam in multis locis ex usu ubi est Episcopus, Superior regularis, Provincialis in sua Provincia, Localis in suo Conventu.

Nota 2. quod alibi jam dixi: Cum quis non jejunat, aut quantitatem excedit in collatione, putans bona fide se habere justam & sufficientem causam, quae tamen re ipsa non est sufficiens, non peccat saltem mortaliter: quia praecipua moralia, inquit Cajetanus, moraliter sunt interpretanda in executione; & iste non agit formaliter contra praecipuum, nisi forte agat ex ignorantia ita crassa, ut dolo acquiparetur. Adde, quod Ecclesia non intendat injicere laqueum animabus. Ita Cajetanus in summ. v. *Jejunium* c. 3. n. 6. 7. & 8. Navarr. in Manu. c. 21. n. 20. ex S. Antonino 2. p. tit. 6. c. 2. §. *Ante*. Palud. in 4. d. 15. q. 4. a. 1. Item Tolet. 1. 6. c. 4. n. 9. Layman c. 3. n. 6. Silvius hic a. 4. & alii.

ARTICULUS XII.

De Gula. D. Thom. Quæst. 148.

Utrum Gula sit peccatum, & quale?

Nota. Gula ex primaria significatione significat illum gutturis meatum, per quem alimenta traiciuntur in stomachum: & quia superior ejus extremitas non secus ac lingua percipit saporem & inde natam delectationem; hinc fit, quod a Theologis iis, qui quaerunt hanc delectationem magis, quam corporis sanitatem, dicantur Gulosi, & eorum vitium Gula.

Itaque Gula, generaliter sumpta, est appetitus inordinatus cibi & potus. (*Hic q. 150. a. 1. o.*) Dividitur in duas species: in Gulam strictè sumptam, quae etiam dicitur crapula & commensatio; & in ebrietatem. (*Hic q. 148. a. 6. o.*) Gula strictè sumpta est appetitus inordinatus cibi & potus, qua delectabilis praecise: sicut, ut patet, est vitium oppositum abstinentiae. Ebrietas est appetitus inordinatus solum potus inebriantis, & opponitur sobrietati, ut dicam infra. De Gula strictè sumpta hic agimus.

Dico 1. (*Q. 150.*) Gula est peccatum. Patet ex ejus definitione; (*Hic q. 148. a. 1. o.*) est enim, ut dictum est, appetitus, seu usus delectationis in cibo & potu inordinatus, id est, modum a recta ratione praescriptum excedens, ideoque peccatum. Modus autem a recta ratione praescriptus in hac materia est, quod ita sumatur alimentum, ut sit utile vitae & sanitati servanda. Qui ergo hunc modum excedit propter delectationem, quam appetit, aut percipit in alimento, peccati Gulae reus est. Non itaque peccati Gulae statim culpandus est, qui cibum delectabilem delectabiliter sumit; nisi sit adeo insipiens, inquit Cajetanus in summa v. *Gula* num. 1. ut putes omnem voluntariam delectationem sensibilem esse peccatum. Etenim propter infirmitatem humanam Auctor naturae annexit alimentis, non secus, ac actui matrimoniali delectationem, ut in iis sumendis non essent difficiles, & sumpta facilius retinerentur, ac digererentur, sicutque melius vitae & sanitati conservandae concurrerent. Unde illud Aug. libr. 4. contr. Jul. *Non solum cibo, sed etiam cibi sapore indiget infirmitas corporis nostri; non propter exsaturandum libidinem, sed propter tuendam salutem.*

Tunc ergo solum est Gulae peccatum, quando, ut dixi, haec delectatio inordinata, seu contra recte rationis dictamen quaeritur, aut percipitur; quod fit quinque modis, de quibus infra; & etiam, si principaliter haec delectatio quaeratur in cibo, aut potu, ita ut comedas & bibas praecise delectationem; quia tunc est inversio ordinis, cum alimentum non sit a natura institutum ad delectationem, sed mediante delectatione ad sanitatem & vitam; & insuper, quia finis humanarum actionum est bonum honestum, non delectabile, hoc enim est proprium brutorum. Unde merito damnata est ab Innocentio XI. hac propositio: *Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini*: Item & falsum principium, quo eam fulciebant ejus Patroni, hoc nempe: *Quia appetitus naturalis potest licite suis actibus frui*. Debuissent dicere *Uti & non Frui*; frui enim est de fine, usus de mediis.

Dico 2. (*ib. a. 2. o.*) Peccatum Gulae est quandoque mortale, quandoque veniale. Prob. (*ib.*) Vel appetitus ille cibi & potus sic est inordinatus, ut tollat ordinem rationis quantum ad ipsum finem; quod contingit, quando delecta-

tioni Gulae sic adheret homo, ut sit paratus transgredi praecipua obligantia sub mortali, ut hujusmodi delectationes assequatur: vel tollit tantum ordinem rationis quantum ad media, quae sunt ad finem; quod contingit, quando quis concupiscit quidem inordinate delectationes cibi & potus, non sic tamen quod propter hoc vellet facere aliquid contra legem obligantem sub mortali; atqui, si primum est mortale, secundum est veniale: & de hoc ultimo intelligendus est S. August. cum dicit serm. 4. in die animarum: *Quoties aliquis in cibo, aut potu plus accipit, quam necesse sit, ad minuta peccata pertinere novetur*. Hinc inferes, eos peccare mortaliter, qui ut Gulae satisfaciant, non solvunt debita, graviter nocent sanitati, aut se reddunt impotentes ad sua munia obeunda, hic & nunc urgentia. Item, qui praevident inde orituram libidinem cum periculo consensus. Item, qui ideo parati sunt furari, violare legem Jejunii, aut aliam quamcumque obligantem sub mortali. Verè Epicuræi, *Quorum Deus venter est*, ut ait Apost. ad Philipp. 3.

Petes, utrum comedere usque ad vomitum sit praecise peccatum mortale? alii affirmant, alii negant? R. Si vomitus ex quantitate cibi assumpti proveniat, difficile excusarem a mortali; quia tam enormis ingurgitatio videtur graviter repugnare recte rationi. Si autem proveniat ex qualitate cibi, aut ex in dispositione sumentis, excusatur a mortali. Unde ex solo vomitu praecise non potest certo colligi, intemperantiam fuisse mortalem.

Dico 3. (*ib. a. 4. o.*) Sunt quinque species gulae, seu quinque modi, quibus peccato gulae, hoc versu comprehensi: *Præproperè, laute, nimis, ardentè, studiosè*. Prob. (*ib.*) Appetitus alimenti potest esse inordinatus duplici modo. 1. Quoad ipsum alimentum. 2. Quoad ejus sumptionem. Si 1. modo, vel est inordinatus circa ipsam substantiam alimenti, quaerendo scilicet pretiosiora, & hoc dicitur *laute*; vel quantum ad qualitatem, quaerendo cibos nimis accurate preparatos, & hoc dicitur *studiosè*: vel quantum ad quantitatem excedendo in comedendo, & hoc est *nimis*. Si 2. modo sit inordinatus, nempe quantum ad sumptionem, vel quia praevenit tempus comedendi, quod est *præproperè*; vel quia non servat modum debitum, vocaciter nimirum & ardentius quam par est comendo, quod est *ardentè*; ergo.

Cave tamen, ne statim, ac semper peccati gulae arguas, qui cibos lautos, aut accurate preparatos manducant. Id enim quandoque exigit, vel sanitatis, vel hospitii, vel festi ratio; aut sic offeruntur, vel alii desunt: sed tunc solum, quando id quaeritur, aut fit contra dictamen recte rationis.

Dices: plures sunt species, aut modi peccati gulae, quam quinque assignati. Sic v. gr. qui comedit tempore vetito, vel ante sacram communionem, vel in loco indebito, ut in templo; item, qui utuntur cibis noxiis, v. gr. carbonibus, aut etiam carne humana; hi omnes peccant peccato gulae, & tamen non modis assignatis. R. (*ib. ad 1. 2. & 3.*) Diversas circumstantias peccati non constituere diversas ejus species, nisi sint junctae diversis motivis intra idem genus peccati; si enim ad aliud genus trahant, & alteri virtuti opponantur, jam non constituunt diversas species ejusdem peccati, sed alioquin alterius, ad quod per se pertineat. Porro quinque assignati modi ex diversis motivis opponuntur eidem virtuti abstinentiae. Sic, qui quaerit lautos cibos, movetur contra abstinentiam ex ipsa specie cibi: qui praecipue tempus, movetur contra eandem virtutem propter impatientiam morae. Et sic de cæteris. Modi vero assignati in objectione non procedunt ex diversis motivis intra idem genus, sed ad aliquem ex praedictis quinque modis pertinent, licet possint etiam habere malitiam alicujus alterius generis. Sic comedere tempore vetito, vel ante sacram Communionem, vel in loco indebito, pertinet ad illud *præproperè*, & in duobus posterioribus adjungitur peccatum contra Religionem. Qui utitur cibis noxiis, non etiam peccat peccato gulae modo a praefatis distincto, non enim sibi nocere est contra virtutem abstinentiae, sed contra charitatem sui ipsius. Similiter, qui carne humana vescitur, peccat aliquo ex quinque modis, si vo *studiosè*, si vo *ardentè*; & insuper est feritas belluina, a qua natura abhorret: nisi forte in extrema necessitate, ut multi volunt.

Dico 4. (*Ibid. ad 5. o.*) Gula est vitium capitale. Prob. Vitium capitale dicitur, ex quo alia vitia oriuntur secundum rationem causae finalis, in quantum scilicet habet finem multum appetibilem, ex cuius appetitu homines provocantur ad multipliciter peccandum; atqui gula habet finem multum appetibilem: ergo. Prob. Min. Ex hoc ali-

aliquis finis redditur multum appetibilis, quod habet aliquam de conditionibus felicitatis, quam omnes naturaliter appetunt; atqui habet unam de conditionibus felicitatis: ergo. Prob. Min. Una de conditionibus felicitatis est delectatio, sine qua non est felicitas; atqui gula versatur circa delectationes tactus, quae sunt praecipue inter alias: ergo.

Dico 5. (*ib. a. 6. o.*) Convenienter assignantur gulae quinque filiae, scilicet, *hebetudo mentis, inepta letitia, multiloquium, securitas, & immunditia*. Prob. (*ib.*) Vita, quae oriuntur ex immoderata delectatione cibi, & potus, possunt accipi, vel ex parte animae, vel ex parte corporis. Ex parte animae quadrupliciter. 1. Quantum ad rationem, cuius vis hebetatur ex immoderatione cibi, & potus propter illorum fumositates perturbat caput; & quantum ad hoc ponitur hebetudo mentis, non solum circa eligibilia, haec enim communiter invenitur in omni peccatore, sed etiam circa speculabilia. Porro haec hebetudo mentis non est secundum se peccatum, sed poena peccati: quatenus tamen est voluntaria, ut in iis, qui in eam scienter incidunt, est peccatum, & quidem mortale, si reddat hominem ineptum ad sua munia gravis momenti, ut jam supra dixi, alias est tantum veniale. Neque existimandum est, hanc hebetudinem durare dumtaxat, quamdiu durat actuale peccatum gulae, saepe enim ad sequentes annos, & in totam vitam extenditur.

2. Quantum (*ib.*) ad appetitum ponitur *inepta letitia*, & alii motus, qui ad hunc referuntur. Cum enim mens hebetata altiora non percipiat, & carnalibus delectabilibus immergatur; quasi in parte felicitatis exultat, & exterioribus, diffunditur per alia letitiae signa, ut sunt ludii illiberales, & theatrici, choreae, tripudiae, & omnesque sive lasciviae, sive indecentiae in verbis, gestibus, & factis. Non hic obiter quantum ad coebras, eas non esse per se malas, & postis certis conditionibus posse esse licitas; sed periculosae sunt, & plerumque occasio gravium peccatorum, unde ab his bonis suasionibus, & adhortationibus deterrendi sunt fideles, inquit hic Sylvius, ex Fumo. De quo non forte latius alibi.

3. Quantum (*ib.*) ad inordinatum verbum: & sic ponitur *Multiloquium*, seu garrulitas, hoc est, sermo superfluous, qui & in se peccatum est, quatenus a recta ratione discordat, & saepe occasio gravium peccandi, puta detrahendi, secreta revelandi, praesentibus irridendi, de rebus divinis istoricis, & impie loquendi: unde illud vulgatum Prob. 10. *In multiloquio non desit peccatum*. 4. Quantum (*ib.*) ad actum inordinatum: & sic ponitur *securitas*, id est, iocularitas, seu excessus in joci, & faciliis commoveatibus alios ad risum, proveniens ex defectu rationis, quae sicut non potest colubere verba, ita nec gestus. Ex parte vero corporis (*ib.*) ponitur *immunditia*, quae potest attendi sive secundum inordinatum emissionem quarumcumque superfluitatum, vel specialiter quantum ad emissionem seminis.

Dices juxta S. Th. conclusione praeced. Vitium capitale dicitur, ex quo plura peccata oriuntur secundum rationem causae finalis; atqui haec quinque assignata non oriuntur ex gula secundum rationem causae finalis, sed secundum rationem causae efficientis: ergo. R. cum Sylvio hic, haec etiam oriri ex gula secundum rationem causae finalis, non quidem sic quasi appetantur propter gulam, sicut appetitur navis ad navigandum, sed quia appetuntur velut permissa, vel etiam acceptata ex desiderio gulae tamquam finis; quatenus gulosus est ita ventri deditus, ut modo gulae satisfaciat, non curet incurrere damna hebetudinis, ineptiae letitiae, &c. sicut diceretur quis appetere exilium propter vindictam, si sciens se propter vindictam exulandum, eam nihilominus sumeret; quia ex nimio affectu vindictae incurrit exilii damna.

DIGRESSIO HISTORICA.

A quo instituta sint Jejunia Ecclesiastica.

§. I. A quo institutum sit Jejunium antepaschale, quod Quadragesimale dicimus; & quot dierum?

Dico 1. Jejunium antepaschale non fuit institutum a Christo, sed probabiliter ab Apostolis. Prob. 1. pars 1. Nullum in Evangelio hujus institutionis vestigium habemus, nisi exemplum Christi; atqui quod Christus Jejunii 40. dierum dedit exemplum, non ideo praecipit: ergo. Confirmatur: Magna est inter nostrum, & Christi Jejunium disparitas: ipse per 40. dies ab omnibus cibis, &

omni refectione abstinit, non excepto die Dominico: nos autem quibusdam tantum cibis abstinemus, unam refectionem singulis diebus sumimus, diebus Dominicis non jejunamus: ergo. Prob. 2. A nascente Ecclesia usque nunc varie mutationes intervenerunt in jejunio Quadragesimae, sive ex summorum Pontificum dispensatione, sive ex consuetudine; atqui tales mutationes non inveniuntur fieri in praecipuis divinis Christi Salvatoris: ergo.

Prob. 2. pars 1. Ex Regula S. Aug. l. 4. contr. Donat. c. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Concilii institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolica auctoritate traditum rectissime creditur*; atqui Jejunium antepaschale in nullo Concilio invenitur institutum, & semper fuit ab universa Ecclesia observatum: quod patet ex 1. Concilio generali, scilicet Niceno, ubi Patres Can. 5. meminerunt Quadragesimae temquam rei & notissimae, & antiquissimae; similiter in Laodiceno Can. 10. & in aliis deinceps. Id adhuc magis patebit ex seq. probatione: unde

Prob. 2. eadem 2. pars. Conclusionis ex SS. Patribus 1. S. Hieron. Ep. 54. ad Marcellam dicit: *Nos unam Quadragesimam secundum traditionem Apostolorum, toto anno, tempore nobis congruo jejunamus*. S. Leo Serm. 6. de Quadrages. *Apostolica institutio quadragesimae dierum jejunii impletur*. Et Serm. 9. etiam de Quadrages. *In quibus diebus merito a SS. Apostolis per doctrinam Spiritus S. majora sunt ordinata jejunia*: ergo.

Dico 2. Probabile est, Jejunium antepaschale semper fuisse Quadragesimale, hoc est, 40. circiter dierum. Prob. Jejunium antepaschale fuisse 40. dierum circiter, testantur 4. & 5. saeculi Patres, nec illud dierum numerum primo sua aetate Jejunio fuisse consecratum indicant, sed retroactis saeculis institutum, & observatum supponunt: ergo probabile est, &c.

Prob. Ant. 1. ex Conciliis Niceno, & Laodiceno cit. supra. 2. S. Cyrillus Jerosol. Catechesi 1. habita tempore Quadrages. ait: *Tot annorum circulus transegit, mundo frustra operam datus, & 40. diebus non vacabis pro anima tua?* S. Epiphanius in expositione Fidei Catholicae. *Ceterum ante septem Paschalis dies, Quadragesimam observare, atque in jejunio perseverare eadem consuevit Ecclesia; Dominici vero nullis omnino, adeoque nec ipsius quidem Quadragesimae jejunii solet: propterea sex illos Paschalis dies Xerophagiis, hoc est, arido victu, omnis populus consuevit*. 4. S. Aug. Ep. 119. c. 15. *Ut quadragesima illi dies ante Pascha observentur, Ecclesiae consuetudo roboravit*. S. Leo serm. ubique. Serm. 3. de Quadrages. *Doctrina Spir. S. hac condicione imbuti populum Christianum, ut ad Paschale Festum 40. dierum se continentia prepararet*. Serm. 4. *Provisum est, ut 40. dierum nobis exercitatio moderetur*. Serm. 5. *Saluberrimum nos 40. dierum jejunio preparaverunt*. Similiter Serm. 6. 8. 10. 12. S. Petr. Chrysost. Serm. 66. contra relaxationem jejunii Quadragesimalis ait: *Si ergo 40. dierum simplex, purum, aequale, tantis testimoniis, sub tanti numero sacramenti traditum nobis a Domino jejunium perdoctur. Unde novitas ista? Unde ista varietas, &c. Jejunium sit aequale, & ut est nobis traditum, servetur ad corporis, & animae disciplinam*. Item S. Basil. Hom. 2. de Jejunio Greg. Nazianz. Orat. 40. S. Joann. Chrysost. hom. 16. ad Antioch. S. Ambros. Lib. de Noë c. 13. 6. Cassianus Collat. 21. c. 24. inducit Germanum Abbatem interrogantem Theonam, cur Jejunium Quadragesimae compleretur 36. diebus: nam, qui Jejunium ducunt per septem hebdomadas, non jejunant Sabbato, nec Dominica; qui sex tantum hebdomadas decurrunt, jejunant Sabbato; & in utrisque 36. dies Jejunii tantum reperiantur. Respondit Theonae, Quadragesimam jejunari, ut dierum totius anni decimae Deo per jejunium offerantur; triginta enim sex dies sunt totius anni decimae pars: ergo antepaschale jejunium fuisse 40. circiter dierum Patres 4. ac 5. saeculi testantur, nec sua aetate sic institutum, sed a prioribus saeculis ad se derivatum supponunt.

Soleantur objectiones contra 1. conclusionem.

Obj. Contra 1. partem primae conclusionis. Ambros. Serm. 25. dicit: *Non leve peccatum est indicam fidelibus a Domino Quadragesimam non jejunare*. Et S. Leo Serm. 12. de Quadrages. *multum utilitatis afferunt divinitus instituta jejunia*: ergo. R. SS. Patres sic loqui, vel quia Christus Jejunii exemplum dedit, & suo exemplo monstravit illud sibi placere: vel quia per Spiritum S. inspiravit Apostolis, ut illud instituerent; sicut ipse S. Leo dicit Serm. 9. cit. supra.

Inst. S. Aug. in Ps. 100. dicit, Jejunium nobis praecipit ex Lege, & Prophetis, & ex Evangelio. Et Ep. 119. Cap. 15. di-

dicit, Quadragesimam jejuniorum habere auctoritatem, & in veteribus libris & Jejunio Moysis & Eliæ, & in Evangelio ex Jejunio Christi; ergo. R. Ad 1. August. loqui de Jejunio *ab illecebris mundi*. Ad 2. sensus est, quod Jejunium Quadragesimale habeat auctoritatem a prælatis tamquam ab exemplaribus, non tamquam ab institutoribus: nisi forte velis, Moysen & Eliam etiam instituisse nostrum Jejunium.

Obj. 1. Contrâ 2. partem 1. conclusionis. S. Chrysost. hom. in eos, qui Pascha jejunant, ait: *Multi quondam temerè, ac sine iudicio, præcipue verbè hoc tempore, quo Christus ea tradidit, ad sacra mysteria accedebant; cum intelligerent Patres, quantum ex temerario accessu detrimenti caperetur, convenienter 40. dies jejunii, precum, auditionis verbi Dei, & conventuum designarunt*. R. Vel S. Chrysost. ibi non loqui de prima Quadragesimæ institutione, sed illius designatione ad omnia illa pietatis Christianæ officia, quæ ibi recensent: vel nomine Patrum intelligere Apostolos, quo sensu ipsemet Paulus dixit: *nisi habeatis multa millia Pedagorum in Christo, sed non multos Patres; in Christo enim Jesu per Evangelium genui vos*: Et certè in quo Patrum, seu Episcoporum conventu antè Chrysostomum instituta fuisset Quadragesima in universa Ecclesia? Non in aliqua Synodo Provinciali, hanc enim auctoritatem non habet pro tota Ecclesia: non in generali, nam Nicæna supponit jam institutam, ut vidimus: Constantinopolitana nihil de Quadragesima decernit, nulla tamen alia Synodus Œcumenica præter has duas antè Chrysostomum habita fuit. Dicendum ergo Chrysostomum intelligere Quadragesimam institutam ab Apostolis, quos hic nomine Patrum appellat; idque elucescit ex serie homiliæ.

Obj. 2. Victor Antiochenus V. sæculo in cap. 2. Marci docet, neque a Deo, neque ab ejus Spiritu ullam legem Jejunii esse latam. Et postea concludit: *Quid si verò Quadragesimale, vel aliud quodcumque jejunium definitum habemus, propter ignavos & negligentes, quo nimirum quoque illic Officium faciunt, præfinitum habemus: studiosi namque pietatis dediti certo animi consilio propensaque voluntate jejunium illud persolvunt magis, quam illa omnino leges, aut præcepta vi compulsis*: ergo. R. Victorem Antiochenum solum ibi asserere, Apostolos non fuisse obligatos jejunii legis Mosaicæ; & Pharisæorum, aut discipulorum Joannis, ut patet ex contextu; Christianosque modo pietati deditos servare jejunia Ecclesiastica, non sicut Judæi, lege cogente, per temporalium poenarum inflictionem, sed libera electione & virtutis amore.

Obj. 3. S. Aug. Ep. 86. ad Casulanum dicit: *Ego in Evangelicis & Apostolicis litteris, totoque instrumento quod appellatur Testamentum novum, animo revolvens, video præceptum esse jejunium: quibus autem diebus non oportet jejunare, & quibus oportet, præcepto Domini, vel Apostolorum non invenio definitum*: ergo. R. 1. S. Aug. in hac Ep. nullatenus agere de Jejunio Quadragesimæ, sed de Jejunio Sabbathi contra quemdam Urbicum, qui contendebat more Romanorum omni Sabbato esse jejunandum. Unde sensus Aug. est non esse determinatum à Christo, vel Apostolis, quia feria per anni circulum extrâ Quadragesimam sit jejunandum, sed hoc cuique liberum esse juxta morem suæ Ecclesiæ. 2. S. Aug. ibi loquitur de præcepto, quod sit scriptis exaratum in sacris Litteris, ut patet eo contextu; non de præcepto, quod sit ore traditum, quale dicimus esse præceptum Quadragesimæ.

Inst. S. Aug. Ep. 119. ad Januarium c. 17. Quadragesimam tribuit soli Ecclesiæ consuetudini, sicut Neophitorum octo dies post Pascha. Et eos ejusdem facti originis cum Quadragesimæ: *Us 40. illi dies, inquit, antè Pascha observantur, Ecclesiæ consuetudo roboravit: sic etiam ut octo dies Neophitorum distinguantur a cæteris, id est, ut octavus primo concinat*: ergo. R. Dist. Ant. Quadragesimam tribuit consuetudini Ecclesiæ roboranti; C. instituenti, N. Et hoc sensu comparat Quadragesimæ octo dies Neophitorum, quod scilicet Ecclesiæ consuetudo utrosque roboraverit, & quod eos pariter observet Ecclesia quamvis utramque illam observantiam pariter non instituerit, sed primam acceperit ab Apostolis. Quamquam nihil obstat, quin utrumque illud institutum Apostolis acceptum referatur: licet abrogatum sit alterum, cum solemniter adulterum Baptismus desit; alterum etiamnum vigeat, quia ejus rationes permanent.

Obj. 4. Socrates l. 5. hist. c. 22. scribit, Apostolos Jejunium Quadragesimale arbitrio cuiusque, ac voluntati permisisse. Idem Nicephorus ex ipso: ergo. R. Socrati Novatiano homiui, & Novatianam circa Festorum celebratio-

nem, ac jejuniorum observantiam, indifferentiam propagantem fidem non esse adhibendam, sed magis credendum SS. Hieron. & Leoni.

Obj. 5. Cassianus collat. 21. c. 30. tradit, Quadragesimale jejunium per Apostolica tempora ab Episcopis institutum fuisse, eò quod remitteretur priscorum Christianorum fervor, qui initio totum anni spatium æquali Jejunio concludebat: ergo. R. hanc esse privatam Cassiani opinionem, & infirmo fundamento nitam; non enim certum est, nec verisimile, Christianos Apostolicis temporibus arctissimum toto anno Jejunium observasse: unde eo relicto SS. Hieronymo, & Leoni adhaeremus.

Obj. 6. Berno Angiensis Abbas circa ann. 1014. libr. de Rebus ad Missam pertinentibus c. 2. & 7. reponit Quadragesimam inter Ecclesiasticas consuetudines, a Patribus, & non ab Apostolis institutas: ergo. R. hunc Abbatem a temporibus Apostolorum remotissimum, majorem non mereri fidem, quam SS. Hieron. & Leo.

Obj. 7. Chronicon Eusebii ad ann. 136. Rabbanus Maurus l. 2. de Instit. Cleric. c. 34. Rupertus Tuitiensis Abbas l. 4. de Divin. Offic. c. 9. referunt institutionem Quadragesimæ Telesphoro Pontifici Romano: ergo. R. ad Eusebium ipsum referre, quid aliqui sentiant, non tamen approbare. En ejus verba: *Quadragesimale jejunium a Telesphoro per hoc tempus institutum, ac præceptum quidam scribunt*. Insuper Chronicon Eusebii esse in hoc interpolatum, nec ista verba reperiri in Mss. Codic. notat. Nat. Alex. ex Scaligero, & Arnaldo Pontato in notis ad Eusebium. Ad Rabbanum, & Rupertum, dico, ipsos deceptos fuisse, vel jam interpolato Eusebii Chronico, vel testimonio Libri Pontificalis Damaso adscripti, & recentioris esse, quam ut eis præ SS. Hieron. & Leone fidem adhibeamus.

Obj. ultimò. Eusebii libr. 5. Hist. c. 18. Apollonium Scriptorem Ecclesiasticum introducit de Montano sic loquentem: *Hic est, qui docuit nuptias solvi, & qui jejuniorum leges primus imposuit*: ergo. R. 1. Quòd, licet Io primus habeatur in versione Eusebii per Rufinum, non legitur tamèn in aliis emendationibus, sed sic: *Iste est, qui nuptiarum divortia perdocet, qui novas Jejunii Leges sancit*. 2. Dato quòd debeat legit primus, sensus est, quod jejuniorum insolitorum præter Ecclesiastica primus leges imposuerit: ex ipso enim Tertulliano Montanista constat, Catholicos observasse quadam jejunia ante ipsum Montanum. Vide locum cit. a. 3. præced. Dissert. obj. 2.

Solvuntur objectiones contrâ 2. Conclusionem.

Antè solutiones argumentorum notandum 1. non eodem semper ritu ab omnibus fuisse observatam Quadragesimam. Alii eam inchoabant à feria secunda post Dominicam, quæ dicitur Quinquagesimæ, ita ut essent septem septimanae Jejunii: sed ex his aliqui ut Graeci excipiebant à Jejunio Dominicam, & Sabbathum, ut dicit Basil. hom. 2. de Jejunio. Quædam solum Dominicam excipientes, ultimam hebdomadam non computant intra dies Quadragesimales, quia Xerophagiis, id est arido strictiorisque victu, transigebatur, ut dicit S. Ephianus citatus in probationibus conclusionis. Urobique tamèn, ut patet, numerabantur 36. dies Quadragesimalis Jejunii. Alii inchoabant Jejunium a feria 2. post Dominicam, quæ dicitur prima Quadragesimæ, jejunantibus omnibus diebus usque ad Pascha, excepta die Dominica, & sic erant etiam 36. dies Jejunii; quibus ut esset perfectè completus numerus Quadragesimarius ad majorem conformitatem cum Jejunio Christi, additi sunt quatuor dies præcedentis hebdomadæ.

Quando autèm hæc additio facta sit, incertum est. Quidam eam tribuunt Telesphoro Papæ circa medium secundi sæculi, idque erunt ex ejusdem Pontificis Ep. decretali, & ex cap. Quadragesimæ. Dist. 4. quod caput desumptum est ex quodam Sermone S. Ambros. adscripto. Sed & ista Epistola & iste Sermo sunt apocrypha. Id videtur certum, hanc additionem esse perantiquam, & antè tempora S. Gregorii factam, siquidem ipse in Sacramento, quod ex codice Gelasii Papæ collegit, feriam quartam ante Quadragesimam ponat caput Jejunii; similiter in Antiphonario. Nec obstat, quòd hom. 16. in Evang. tribuat Jejunio Quadragesimæ 36. dies tantum: quia hos dies solum computat à Dominica prima Quadragesimæ, in qua homiliae hanc habuit; itèm & quia ipsa Quadragesimæ quantum ad officium, & modum solvendi Jejunium post vespas incipit tantum à Dominica.

Nota 2. Varietatem etiam incurrisse in forma Jejunii, dum aliqui quotidie ad vespertum reciderentur, alii biddium, alii quadriddium, alii integram septimanam absque om-

ni cibo transigerent, ut referunt Irenæus in Epistola ad Victorium Papam apud Eusebium libr. 5. hist. cap. 24. secundum accuratorem translationem Hieron. Ep. 15. & Aug. libr. de moribus Ecclesiæ c. 33.

Obj. 1. S. Irenæus apud Eusebium l. 5. hist. cap. 24. dicit loquens de jejunio Quadragesimæ, *Quidam unum diem se jejunare oportere existimant, alii duos, non pauci plures, multi 40. ergo. R. 1. Verba Græca Irenæi, ut modò dicebam, non accurate reddi. Latine in hac versione Eusebii per Christophorum, neque etiam in ea quæ est Rufini: sed simpliciter latine reddita sic sonant: Neque enim solum de die (Paschæ) est dubitatio, sed etiam de specie ipsius jejunii. Quidam enim existimant unam diem oportere se jejunare, quidam duas, quidam etiam plures. Quidam 40. horis diurnis, & nocturnis metuntur suum diem. Id probat Bellarmin. l. 2. de bonis oper. c. 14. Undè Natalis Alexander sæc. 2. Dissert. 4. art. 3. ex mendatorum versione sic refert: Neque enim de die solum controversia est, sed etiam de forma ipsa jejunii. Quidam enim existimant unico die sibi esse jejunandum, alii duobus, alii pluribus, nonnulli etiam, quadraginta horis diurnis ac nocturnis computatis, diem suum metuntur. Non fuit ergo diversitas secundum Irenæum circa ipsam Quadragesimam, àn eò tempore per 40. dies esset jejunandum, sed circa ipsum modum, & formam jejunii illius, quantumvis quidam quotidie reficiebantur, quidam tota die omnem cibum sibi subtrahebant, alii post biddium tantum cibum sumebant, alii post triduum, alii post 40. horas.*

Et hunc esse sensum Irenæi, patet 1. Quia in nulla versione dicitur, quòd esset controversia, aut dubitatio de jejunio Quadragesimæ, sed in versione Christophoroni, *De jejunii ratione, & modo*, in versione Rufini, *De ipsa specie jejuniorum*. 2. Quia juxta Irenæum erat controversia de jejunio Quadragesimæ, sicut de Paschatis celebratione: sic enim scribit juxta ipsam versionem Christophoroni: *Non enim de die Paschatis solum, sed etiam de jejunii ratione, & modo est ista constituta controversia; atque non erat controversia, àn festum Paschæ foret celebrandum, sed qua die, àn Dominica, àn quacumque die hebdomadæ: ergo similiter juxta eundem non erat controversia de ipso jejunio Quadragesimæ, àn servandum esset, sed qua forma, & quo modo. Adde, non esse verisimile tamè quàm fuisse varietatem jejunii Paschalis, ut aliqui putarent illud unico die concludi; eum è contrâ certum sit ex Epiphani. Hieron. & Aug. citatis fuisse apud veteres varietatem in forma, & modo jejunandi.*

R. 2. Dato juxta Irenæum diversitatem illam fuisse in numero dierum, nihil ideò obviat Heterodoxi; siquidem S. Irenæus asserit diversitatem illam ortam ex imperitia, ac irrepisse in quasdam Ecclesias ex Pastorum negligentia contrâ id, quòd primitus traditum erat: sic enim prosequitur Irenæus in versione Rufini: *Capit hæc diversitas ab illis, ut opinor, qui non simpliciter, quòd ab initio traditum est tenentes, in alium morem, vel per negligentiam, vel per imperitiam postmodum deciderunt. Alii quidem habet versio Christophoroni, sed ipsi præferendus est Rufinus antiquior, & doctior, eo magis quòd juxta Bellarm. loco citato textus Græcus Irenæi, de verbo ad verbum latine redditus, hunc sensum importat. Undè Natalis Alex. loco cit. ex accuratiori translatione sic refert: Atque hæc in observando jejunio varietas non nostra primùm ætate nata est, sed longe apud majores nostros capit, qui negligentius, ut verisimile est, præsidentes, ex simplicitate, & imperitia ortam consuetudinem post se tradiderunt.*

Obj. 2. Socrates l. 5. hist. dicit, eos, qui Romæ sunt, tres septimanas antè Pascha, Sabbatho, & Dominica exceptis, jejunare: qui autem in Illyria, Græcia, & Alexandria antè sex septimanas Pascha præcedentes jejunium, quòd Quadragesimale vocant, inchoare, alios antè septem: ergo. Idem testatur ex ipso Sozomeno l. 7. c. 19. Cassiodorus homo Romanus in Historia tripartita, & Nicephorus l. 12. c. 34. R. Socratem hæc in re idem non mereri. 1. Quia paritibus, si non erroribus, Novatianorum addidit erat: quamvis enim hæres Novatianorum nihil cum hac questione de jejunio Quadragesimæ commune habebat, hanc tamèn varietatem Ecclesiæ Romanæ imposuit, ut illi everet, quia scilicet Novatiani sentiebant esse liberum, & indifferentem quòs vellet die Pascha celebrare, & ideò *Adiaphori* vocabantur. Undè, ut Novatianam illam indifferentiam in disciplina moribus exemplo Catholicorum Romanorum probatam faceret, exhibet varietatem in moribus Ecclesiæ Romanæ, & ejus quòd jejunium dissidentiam ab aliis Ecclesiis. 2. Quia secum pugnat Socrates in hoc ipso capite. Scribit enim, Romanos tres continuas hebdomadas antè

Pascha, *exceptis Sabbatho, & Dominica die, jejunare*: & infra in eodem capite scribit: *Romæ singulis Sabbathis jejunant*: Quis vero sibi persuadere Romanos, qui reliquo anti tempore tam religiosè Sabbathi jejunium observabant, ut etiam constet ex SS. Hieron. Aug. & Leone, Quadragesimæ Sabbatho à jejunio absolvisse? 3. Quia hæc in re fuisse hallucinatum Socratem, constat ex prius laudatis SS. Leone, Petro Chrysol. & Cassiano ejusdem ætatis Scripturibus, qui jejunium Quadragesimale 40. dierum Romæ publica Lege sancitum esse, & observatum testantur. Potè non est mirum, si Græcus homo tanto locorum intervallo ab Urbe Romana distans Romanæ Ecclesiæ ignarus fuerit. Fortè huic errori occasionem dedit plurimum Christianorum Ravennæ, aut etiam Romæ relaxatio, contrâ quam invehit S. Petrus Chrysol. supra.

Si dicas cum Dallæo, non esse verisimile, Socratem mentitum fuisse in re, cujus prompta, & expedita probatio in omnium oculis versabatur. R. Non assero mentitum, sed fortè deceptum. Sed estò fuerit mentitus, id nulli incredibile esse debet, qui contempserit Dallæum ipsum in referenda Romanæ, & Gallicanæ Ecclesiæ disciplina de jejunio impudentè fuisse mentitum; scribit enim l. 1. de jejunio, & Quadragesimæ c. 2. Pastores Romanæ Ecclesiæ docere reprehendi non posse, *adeoque ecclesiasticè verè jejunare, qui hora sexta prandent, et vespere cenant... neque aliud inter dies jejunii sacros, et eos, qui sunt à jejunio liberi, discrimen apud eos quidem apparet, nisi quòd carne illis abstinent, his vescuntur; certe Ecclesiæ Romanæ Pastores nihil aliud, vel exiguum, nisi ut jejunia ea Lege colantur*. Ex l. 4. c. 6. dicit, jejunium Adventus sub poena æternæ mortis ab omnibus observari. Numquid hæc sunt aperta, & putidissima mendacia? hæc tamèn potuit Calvinista Gallus circa mores præsentis suæ Ecclesiæ; cur similiter non potuerit errare Socrates extraneus circa mores Ecclesiæ Romanæ.

Quantùm ad Sozomenum, Cassiodorum, & Nicephorum, dico ipsos sine discussione Socratem ferè de verbo ad verbum secutos fuisse, adeoque non majorem mereri fidem.

Dices: Sed quis credat, Cassiodorum maximè Civem Romanum disciplinam Ecclesiæ suæ ignorasse, & ipsi falsa imposuisse? R. Cassiodorum, sicut alia Socratis, & Sozomeni errata excerpisse, ita, & illud potuisse excerpere. Nullus namque ignorat, tempore Sozomeni Pontificem Romanum in Ecclesia populum docuisse, cum id testentur S. Leonis Sermones; scripsit tamèn Sozomenus loco mox laudato; *In Urbe Romana, nec Episcopus, nec alius quicumque in Ecclesia populum docet*; idque transtulit in suam historiam Cassiodorus sicut, & alia. Neque id nemini mirum videri debet, qui advenit consilium Cassiodori in historia illa tripartita aliud non fuisse, quàm de singulis Dictatoribus *efflorata colligere, et cum Auctoris sui nomine in orationem collocare*, ut ipse monet in ejusdem historia præfatione.

Obj. 3. Tertullianus libr. de jejun. c. 14. tantum meminit jejuniorum *Parascensis, et Sabbathi, seu Paschalis*: ergo. R. 1. Tertulliano Montaniste, præsertim in hac materia scribenti contrâ Catholicos, nullam esse fidem adhibendam. 2. Ibi horum jejuniorum tantum meminit, non quòd his solis diebus jejunarent Catholici, sed quia solemniora erant jejunia, & in his conveniebant Catholici cum Montanistis quoad Xerophagias. Insuper dici potest, Tertullianum nomine Paschatis intelligere totum tempus illud antepaschale, quòd jejunii consecrat Catholici; sicut libr. de Idololatria c. 14. nomine Pentecostas intelligit totam illud tempus, quòd decurrit à Paschate ad Festum Pentecostes.

Obj. 4. S. Leo scrip. 4. de Quadrag. dissert. testatur 3. & 5. feriam apud Romanos à jejunio eximi, *secunda, inquit, et quarta, et sexta feria jejunamus; Sabbatho autem apud B. Petrum Apostolum vigiliis celebramus*. Vigiliis autem adjeungebantur jejunia: ergo. R. Hæc verba cum 20. circiter lineis adjunctis non esse S. Leonis, sed in ejus sermone irrepisse, atque assuta fuisse. Id constat ex eo, quòd non reperiantur in quinque Codicibus MSS. venerandæ antiquitatis, & probatæ fidei, quos, inquit Natalis Alexander sæc. 2. Dissert. 4. evolvit Quesnellus. Primus extat in Regis Christianissimi Bibliotheca n. 341. Secundus in Biblioth. Illustris D. Thuani n. 49. Tertius in eadem n. 108. Quartus in Biblioth. Collegii Navarrici. Quintus in Biblioth. S. Germani à Pratis. Et sanè S. Leo ubiqùe 40. dies jejunio ante paschali assignat. Insuper, dato hæc verba esse S. Leonis, intelligenda forent de jejunio quatuor dierum antè I. Dominicam Quadragesimæ, quæ licet nondum tunc Lege præciperebantur, à multis tamèn ex devotione jam observabantur, ut testatur Maximus Taurinensis hom. ha-

bita in illud Evangelium, quod legitur die Cinerum.
 Obj. 5. Aug. Ep. 118. ad Januarium docet, cuique liberum esse pro more Patrie suae jejunare, vel non jejunare quinta Feria in Quadragesima. Et Ep. 86. ad Casulanum asserit, Romae Feriam quintam à jejunio esse immunem: ergo. R. Ad 1. S. Aug. non illic loqui de qualibet feria quinta Quadragesimae, sed de feria quinta majoris Hebdomadae, ut patet ex serie totius Epistolae, & ex ipsa questione facta à Januario: *Quærit enim his verbis, inquit Aug. Quid per quintam feriam ultime hebdomadae Quadragesimae fieri debeat.* Liberum ergo fuisse tempore Aug. in Ecclesia Africana jejunare, vel non jejunare feria quinta in Cæna Domini, imò Missam celebrare, aut Eucharistiam sumere jejunium, vel pransum, ut constat ex Can. 29. Concil. Cathag. idque ex quodam usu, propter singularem commemorationem Cænae Domini introducto, sed nego id liberum fuisse qualibet quinta feria Quadragesimae. Ad 2. dico, S. Aug. ibi non loqui de jejunio Quadragesimae, sed de jejunio, quæ per totum annum multæ ex ipsa consuetudine Romæ observant, ut constat ex ipso Aug. in eadem Ep. ubi dicit, fideles, qui pietati student, solitos fuisse quarta, & sexta feria, necnon Sabbatho jejunare per totum annum; feria autem quinta non jejunare, nisi paucos Clericos, & Monachos. Insuper dicendum, quòd, si alicubi feria quinta in Quadragesima erat à jejunio immunis, hæc relaxatio compensabatur per majorem hebdomadarum numerum, ut observavimus supra.

Obj. 6. S. Gregorius Turonensis l. 10. historiarum Francorum c. 31. tradit, Perpetuum Episcopum Turon. circa ann. 460. instituisse jejunia, vigiliisque qualiter per circulum anni observarentur, quod hodie, inquit, apud nos tenetur scriptum. Ille autem ordo jejuniorum, quæ Perpetuus instituit, erat diversus à cæterorum more, & feriam 5. & 6. tantum Quadragesimæ jejunio addebatur: *De jejunio, inquit, post Quinquagesimam 4. & 6. feria usque ad Natale S. Joannis:* ergo. R. Perpetuum instituisse jejunia, & vigiliis certis diebus per anni circulum extra Quadragesimam; de jejunio verò Quadragesimæ, quod jam antè institutum erat, nihil sanxisset. Nec te moveat, quòd feria quarta, & sexta post Quinquagesimam esse jejunandum decernat; non enim hic Quinquagesima antepaschalis intelligenda est, sed Quinquagesima Paschalis hoc est 50. dierum intervallum, quod à Paschate ad Pentecosten decurrit, quo tempore non jejunabatur; undè dicit, *post Quinquagesimam esse jejunandum.* Moris enim Ecclesiastici tunc erat appellare Pentecosten Quinquagesimæ solemnitatem, quia est dies quinquagesimus à Resurrectione Domini. Ita in Concil. Aurelian. 1. Can. 25. in Conc. Turon. 2. Can. 17. apud Cassianum collat. 21. c. 11. & alibi.

Obj. 7. Cassianus collat. 21. c. 27. scribit, quosdam jejunare sex hebdomadas, alios septem. Basilium serm. 2. de jejunio non pluribus, quam quinque diebus monet esse jejunandum: ergo. R. Hæc conciliari ex prænotaminibus ad solutionem objectionum. Qui enim quinque tantum diebus jejunabant in hebdomada, septem hebdomadas jejunio consecrabant, & qui sex diebus in hebdomada jejunabant, sex hebdomadibus jejunium concludebant, ita ut utrobique forent triginta sex dies jejunii; computatis scilicet utrobique sex diebus ultimæ hebdomadae.

Obj. 8. S. Ambros. serm. 24. dicit, aliquos sui temporis jejunare Quinquagesimam pro Quadragesima: ergo. R. S. Ambrosium id referre quidem; sed non probare tantam majorem auctoritate institutum; quin potius improbare tanquam ex particulari quorundam præsumptione institutum. Cæterum Ambrosium pro indubitato habere per 40. dies esse jejunandum, ex ejus sermonibus de Quadragesima patet.

§. II. A quo instituta sint Jejunia quatuor Temporum?

Dico: Probabile est, jejunia quatuor Temporum instituta esse ab Apostolis, licet aliqua diversitas supervenerit circa tempus. Quidam probant 2. partem ex illo Luc. Act. 27. *Cum jam non esset tuta navigatio, ed quod & jejunium jam præterisset.* Sed alii volunt id intelligi de jejunio Judæorum. Undè efficacius prob. ex S. Leone. Is sermone 1. de jejunio Pentecostes sic ait: *Hodiernam dilectissimi festivitatem descensione Spiritus S. consecratam sequitur, ut nostis, solenne jejunium. Repletis namque Apostolis virtute præmissa... Non ambigimus inter cætera celestis Sacramenta doctrinæ hanc spiritualis continentie disciplinam de Paracleti Magisterio primitus fuisse conceptam... Hi itaque Doctores, qui exemplis, & traditionibus suis omnes Ecclesia filios imbuerunt, tyrocinium militum*

Christiane sanctis jejunio inchoarunt... Quarta igitur, & sexta feria jejunamus, Sabbatho apud B. Petrum Apostolum vigiliis celebremus. Vigiliis autem annexum erat jejunium. Ex quibus evidenter liquet, juxta S. Leonem Apostolos & hoc jejunium observasse, & posteris observandum indicasse. Et serm. 2. de eodem jejunio dicit: Hoc jejunium, quod ex Apostolica traditione subsequitur, sancta observantia celebremus... Quarta igitur, & sexta feria, &c. ut supra. Idem serm. 7. de jejunio 7. mensis, id est, Septembris, dicit: Apostolica institutio, dilectissimi... ita veteris Testamenti Decreta distinguit, ut... Quæ dudum fuerant consuetudinis Judaicæ, fierent observantia Christiana. Et in fine, 4. & 6. feria jejunamus, &c. ut antè, & serm. 8. de eodem jejunio: Cui medicus (scilicet jejunio) cum tempus non sit congruum, hoc tamen habemus aptissimum, quod Apostolicis, & legalibus institutis videmus electum, ut, sicut aliis anni temporibus, ita mense septimo spiritualibus nos purificationibus emendemus. Idem Serm. 1. de jejunio 10. mensis, hoc est, Decembris. Sic ait: Tria verò sunt, quæ maxime ad religiosas pertinent actiones, oratio scilicet, jejunium, & elemosyna, quibus exercendis omne quidem tempus acceptum; sed illud est studiosius observandum, quod Apostolicis acceptimus traditionibus consecratum, sicut etiam dicimus hic mensis morem referret veteris instituti, ut tria illa, de quibus locutus sum, diligentiùs exequamur... Quarta igitur, & sexta feria, &c. ut antè.

Restat solum jejunium vernum, sed cum Ser. 8. priùs laudato de jejunio septimi mensis, dicit Apostolicis institutis jejunium esse electum in hoc mense, sicut aliis anni temporibus, & Ser. 8. de jejunio 10. mensis annumeret jejunium vernum aliis jejunio quatuor Temporum: his nempe verbis: *Jejunium Vernum in Quadragesima, Æstivum in Pentecoste, Autumnale in mense septimo, Hyemale autem in hoc, qui decimus est, celebramus* aperte colligitur, SS. Pontificem censuisse singula quatuor anni Temporum jejunia esse traditionis Apostolicæ.

His veteris argumentis Dillæus Calvinista l. 4. de jejun. c. 7. respondet, Ecclesiam Romanam tempore S. Leonis equidem jejunia servasse quatuor anni Temporibus; sed negat hunc fuisse universalis Ecclesiæ morem. Contra S. Leo Ser. 7. de jejunio 10. mensis c. 2. dicit: *His autem conversionibus per providentiam gratiæ Dei addita sunt sancta jejunia, quæ in quibusdam diebus ab universa Ecclesia devotionem observantia generalis exigent.* Et Ser. 4. de jejunio 7. mensis c. 2. *Quamvis autem vinculum nostrum liberum sit voluntariis castigationibus proprium oportet asserere... Quibusdam tamen diebus ab omnibus oportet celebrari jejunium, & tunc efficacior est sacratorumque devotio, quando in operibus pietatis totius Ecclesiæ unus animus, & unus est sensus.* Intelligere autem per totam, & universam Ecclesiam, solius urbis Romæ Ecclesiam, per omnes solos Romanos Cives, & per generale jejunium, quod solis Romanis est proprium, ut facit Dillæus, non solum est ludere, & cavillari, sed aperte abuti terminis. Reponit Hæreticus, S. Leonem non reponere sicut nos jejunium æstivum post Pentecosten, sed in Pentecoste. Verum jejunium in Pentecoste, & post Pentecosten idem est S. Leon. qui etiam illud post Pentecosten dissertet collocat Ser. 1. de jejunio Pentecostes priùs laudato.

Prob. 2. pars conclusionis. 1. Ex Concilio Moguntino ann. 813. sub Leone III. & Carolo Magno Can. 34. ubi dicitur: *Constituimus, ut quatuor anni tempora ab omnibus cum jejunio observentur, id est, mense Martio, hebdomada prima... Similiter mense Septembri, hebdomada tertia; & in mense Decembri, hebdomada, quæ fuerit plena ante Vigiliam Natalis Domini.* Refertur Dist. 76. c. Constitutum. 2. Ex Concilio Salegustadiensi, in eadem Diocesi Moguntina, celebrato ann. 1022. ubi vocatur incertum jejunium quatuor Temporum, & paulò aliter quàm in Moguntina Synodo assignantur tempora jejunii. Refertur ibidem cap. de jejunio. 3. Ex Epist. Gotfridi Abbatis circa ann. 1120. in qua querit ab Hildeberto Episcopo Cenomanensi, in qua hebdomada Junii jejunia essent celebranda: ergo.

Dices 1. contra 1. partem conclusionis: In quibusdam Breviariis Romanis legitur decima quarta Octobris, S. Calixtus Papam instituisse quatuor anni tempora, quibus jejunaretur. Ipse Calixtus in Ep. ad Benedictum Episcopum, quæ citatur à Gratiano d. 76. c. jejunium scribit, quòd jejunium, quod ter in anno celebrabatur, quater sit celebrandum; undè eruitur saltem unum ex jejunio quatuor temporum ab ipso fuisse institutum: & Pontificale Damasi quatuor illa jejunia ab ipso Calixto tradit instituta: ergo.

tuta: ergo. Quidam respondent, in correctione Breviarum, loco priorum verborum hæc esse substituta: *Constitutum quatuor anni tempora, quibus jejunium, & Apostolica traditione acceptum, ab omnibus servaretur.* Ex quo colligitur, hæc jejunia fuisse quidem ab Apostolis instituta, sed cum varietas accidisset circa tempora, quibus observarentur, Calixtus ea designavit. Ad ejus Epistolam respondens sensum esse, quòd restituerit consuetudinem quater jejunandi, quæ apud aliquos ex parte collapsa erat, ita ut non nisi ter jejunarent. Ad Pontificale Damasi, dicitur, eo significari Calixtum fuisse primum, non qui hæc jejunia instituerit, sed qui scripto mandaverit id, quod pia traditione priùs servabatur. Sed R. brevius, & Epistolam Calixti, & Pontificale Damasi adscriptum, ex qui-

bus in quibusdam Breviariis irreperant, quæ obijciuntur, nunc ab eruditis explodi ut apocrypha, & supposititia, proindeque nullius, aut levissimæ auctoritatis esse.

Dices 2. Tertullianus lib. de Jejunio c. 2. scribit, Christianos docere nullum ab Apostolis impositum jejunium præter Quadragesimale: ergo. R. Nullam fidem esse adhibendam Tertulliano scribenti contra Catholicos, ex quo ab ipsis ad Montani hæresim defecit. Docebant quidem Christiani, nullam aliam Quadragesimam esse sibi impositam præter Quadragesimam antepascalem (cum ipse Tertullianus cum suo Montano plures astrueret), sed non, ullum aliud jejunium.

Quadam alia argumenta præoccupavimus in Dissert. præced. in qua etiam sufficienter diximus de origine aliorum jejuniorum, sive abstinentiarum.

DISSERTATIO III.

DE SOBRIETATE ET EBRIETATE.

D. Th. Quæst. 149. & 50.

ARTICULUS I.

De Sobrietate.

NOta. (Q. 149. a. 1. o.) Sobrietas dicitur a servanda Bria, id est mensura. Uadè, generalissimè sumpta, significat omnem moderationem animi a mensura non deviantis in quacumque materia: hoc sensu dixit Apostolus Rom. 12. *sapere ad sobrietatem.* Minus latè sumpta, sumitur pro Temperantia, quæ mensura servat in delectationibus sensuum: hoc sensu dixit Apost. ad Tit. 2. *Sobriè, & justè, & piè vivamus.* Strictius sumitur pro virtute abstinentiæ: hi enim dicuntur sobrii, non solum qui parèe bibunt, sed etiam qui parèe manducant. Strictissime tandem sumitur pro moderatione potùs inebriantis. De sobrietate hoc sensu sumpta licè agimus; quæ definitur potest; virtus moderans affectum, & usum potùs inebriantis: ad cuius majorem elucidationem.

Dico (Ib.) Sobrietas versatur circa potum inebriantem, ejus affectum, & usum moderans. Prob. (Ib.) virtutes, quæ ab aliqua generali conditione virtutis nominantur, illam materiam sibi specialitèr vindicant, in qua difficillimum, & optimum est hujusmodi conditionem servare, sic v. gr. Fortitudo versatur circa pericula mortis; Temperantia circa delectationes tactus; atqui nomen sobrietatis sumitur a mensura, ut dictum est, & in usu potùs inebriantis est optimum, & difficillimum servare mensuram, quia usus moderatus multum confert, & modicus excessus multum lædit, sua fumositatè caput perturbans: ergo.

Dico 2. (Ib.) Sobrietas est virtus specialis. Quia, ubi est speciale impedimentum rationis, ibi necesse est esse specialem virtutem ad illud removendum; virtus enim moralis ponitur ad conservandum bonum rationis; atqui potus inebrians habet specialem rationem impediendi usum rationis, in quantum perturbat cerebrum sua fumositatè: ergo, ad removendum hoc speciale impedimentum rationis, requiritur specialis virtus, quæ dicitur Sobrietas.

Dico 3. (Ib. o.) Quamvis sobrietas omnibus conveniat, quia omnes lugere debent mentis perturbationem, & peccata indè nascentia; peculiari tamen ratione convenit adolescentibus, & mulieribus; item iis, qui alius præsentis sive spiritualitèr, sive temporalitèr, & sensibus. Adolescentibus: (Ib. a. 2. o.) quia propter fervorem sanguinis, & spirituum est in eis major pronitas ad concupiscentias, quas oportet refranari per virtutem. Mulieribus: (Ib.) quia facillius perturbantur, nec est in eis sufficiens robur mentis ad hoc, quòd concupiscentiis resistent: undè secundum Valerium Max. lib. 2. c. 1. Mulieres apud Romanos antiquitus non bibebant vinum. Senibus; (Ib.) quia in eis ratio vigere debet ad aliorum eruditionem. Undè Apost. ad Tit. 2. monet, *Senes ut sobrii sint.* Iis, (Ib.) qui præsentis spiritualitèr, ut sunt Episcopi, & alii Ecclesiæ Ministri, quia mente devota debent spiritualibus officiis insistere: undè Apost. inter cæteras virtutes Episcopo necessarias ponit sobrietatem. Iis verò, qui præsentis temporalitèr, ut sunt Reges, Principes, Magistratus, &c. quia per sapientiam debent Populum subditum gubernare.

ARTICULUS II.

De Ebrietate.

Quid sit Ebrietas; & quale peccatum?

NOta. (Q. 150. a. 1. o.) Ebrietas duplicitèr accipi potest: uno modo proit significat ipsam defectum rationis, qui Theol. Billuarti. Secunda Secunda.

accidit ex multo vino potato (per vinum hic intellige omnem potum inebriantem) & secundum hoc ebrietas non nominat culpam, sed defectum poenam consequentem ex culpa. Alio modo (Ib.) ebrietas nominat actum, quo quis in hunc defectum incidit: qui actus potest causare ebrietatem duplicitèr: uno modo, ex nimia vini fortitudine præter opinionem bibentis; & sic etiam ebrietas potest accidere sine peccato, præcipue si non ex negligentia hominis contingat; & sic creditur Noè inebriatus esse Genes. 9. Alio modo ex inordinata concupiscentia, & usu vini; & sic ebrietas ponitur esse peccatum: & continetur sub gula generatim sumpta, sicut species sub genere: dividitur enim gula generatim sumpta in comensationem, & ebrietatem, ut dixi supra. Itaque ebrietas, ut est peccatum, deñiri potest ex S. Th. *Voluntarius excessus in potu inebriante usque ad defectum usus rationis.*

Dicitur 1. *Voluntarius*: dum quis scilicet attenda vini quantitate, aut qualitate, propriæque conditione prævidet se indè privandum usu rationis: aut dubitans non curat inquirere; quia tunc defectus usus rationis indè sequens est voluntarius in directè, seu in causa. Undè Tò *Voluntarius* afficit non solum actum potandi, sed etiam ipsum defectum rationis indè sequentem, in quantum prævisus fuit, aut potuit, ac debuit prævideri secutus ex tali potatione. A fortiori, si esset directè volutus in se; ut si quis liberet expressè, ut privaretur usu rationis, quod raro accidit. Dicitur: *in potu inebriante*; quia in hoc distinguitur ebrietas a gula strictè sumpta, seu comensatione, quòd hæc sit excessus in cibo, & potu non inebriante; ebrietas in potu inebriante: non enim comessatio dicitur a comendo, sed, ut observat Sylvius ex Galepino post Varroem, dicitur a *Como*, qui apud antiquos habebatur *Deus Crapulae*; crapula committitur, & in cibo, & in potu.

Ex quo sequitur ex una parte, quòd excessus in potu non inebriativo ut lacte, vel etiam inebriativo, sed non de facto inebriante, seu non pertingente usque ad defectum rationis (hæ enim particule addite sunt pro majori explicatione prioris particule *Inebriante*) non sit propriè ebrietas, sed gula, seu comessatio, & crapula, ut dicam infra. Ex altera parte sequitur, quòd, qui aliunde, quam ex potu, puta ex odore lupuli, aut sulfuru tabaci, privaretur usu rationis, non esset propriè ebrius; licet posset peccare, si id ipsi voluntarium esset.

Quidam addunt deñitioni, *Voluptatis causa*. Verum, licet sic ordinariè fiat, id tamen absolute necessarium non videtur; arbitramurquè, eum, qui repugnantè potu ex complacentia pro amico, aut metu mortis biberet usque ad privationem usus rationis, fore propriè ebrius: sicut puella foret propriè fornicaria, quæ metu mortis reluctante consentiret fornicationi.

Ratio est: quia licet intemperantia, cuius ebrietas, & fornicatio sunt species, versetur circa delectabile secundum sensum, non est tamen necesse, quòd versetur circa delectans actu, ut patet in ipsa temperantia, quæ opponitur intemperantia, & versatur paritèr circa delectabile secundum sensum. Qui enim manducaret moderatè cibum secundum se delectabilem, sed in quo nullam perciperet delectationem, ut non infrequenter accidit viris sanctis mortificationi deditis, verum actum temperantiæ exerceret, & propriè foret temperans: ergo similiter, qui immoderatè utitur potu secundum se delectabili, licet non actu delectante, est propriè intemperans; & si usque ad privationem rationis, propriè ebrius. Confirmatur 1.